

QVÆST. V.

Ad diffinitio æquiuocorum sit conuenienter data?

Aequiuoca dicuntur, quorum solum nomen commune est: secundum vero illud nomen, ratio substantia diversa: ut animal, homo: & quod pinguitur in predicationis. Cap. 1.

VÆRITVR, de diffinitione æquiuocorum: an sit conuenienter data: hæc, scilicet: æquiuoca dicuntur, quorum solum nomen commune est: ratio autem substantiae est diversa. Qod non videtur: primo ex parte diffiniti: quia est concretum, & illud non habet diffinitionem: quia nec genus, per Aristot. tertio Topicorum: igitur, &c.

Item, plurale nihil aliud est, quam singulare germinatum, per Priscianum: igitur æquiuoca non est aliud, quam æquiuocum, & æquiuocum: sed totum copulatum non est unum diffinibile: ergo nec illud in plurali numero: patet: quia totum copulatum non est unum: quia copulario vult ponit inter diuersa. Sic potest argui generaliter nullam diffinitionem datam de aliquo in plurali esse conuenientem.

Item, hæc non ponuntur genus, & differentia: ergo non est diffinitio. Consequentia patet per Arist. sexto Topicorum, & Boetium libro Divisionum.

Item, contra particulas singulas arguitur. Primo sic: si æquiuoca dicuntur: igitur sunt voces: quia vocis est dici per se: sed voces sunt nomina: ergo non sunt quorum sunt nomina: ergo prima particula, & secunda: scilicet, quorum, &c. re pugnant.

Item, si solum nomen est commune: ergo nihil aliud: hoc sequitur ex intellectu exclusionis: ergo superfluit postea addere: & ratio substantiae est diuersa.

Item, æquiuocan non diffiniuntur: er-

go non habent rationem substantiae: id est, diffinitionem essentiale: igitur nec est eorum ratio substantia eadem, nec diuersa: quia nulla, & hoc secundum illud nomen, secundum quod sunt æquiuoca: cuius tamen oppositum ponitur in diffinitione.

Item, contra exemplum: si animal æquiuoce, conueniat homini picto, & homini vero, pari ratione, nomen quod libet erit æquiuocum verae naturæ, & eius similitudini: & ita omnis propositionis distinguenda: & nulla vera simpliciter. Similiter, hæc videtur esse fallacia secundum quid, & simpliciter: homo pictus: ergo homo: & non æquiuocationis.

Item, homo, vt de eo dicitur intentio speciei: & vt dicitur de supposito; solum habet nomen commune: & non est æquiuocum: igitur, &c. probatio primæ propositionis, popendo diffinitionem pro nomine: aliter est falsa: quia animal rationale non est species, sed diffinitio: species autem, & diffinitio, sunt oppositæ intentiones: ergo, &c. probatio secundæ propositionis: si esset æquiuocum: tunc hæc homo est i species: Sortes est homo: ergo, &c. non esset fallacia figurae distinctionis, nec accidentis: quorum utrumque est falsum: consequentia patet: quia vbi est actualis multiplicitas, ibi ratione illius eiusdem non est phantastica multiplicitas: sic enim idem vere significaret multa, & tantum apparet: quod est discere incompossibilita. Similiter in fallacia Accidentis, terminus variatus est unus secundum significationem: quia loci extra dicti: non peccant contra contradictionem: aliter non esset Accidens locus aptissimus ad decipiendum inter locos sophisticos extra dicti: ergonon sunt in eodem Paralogismo ratione eiusdem æquiuocatio, & figura distinctionis: nec æquiuocatio, & fallacia Accidentis, &c. igitur non & æquiuocatio.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad questionem dicendum: quod ista notificatio satis conuenienter datur de æquiuocis æquiuocatis.

Vbi intelligendum est: quod æquiuocatio dicta actiue dicit habitudinem unius in ratione significantis: & passiue, è conuerso: & ita æquiuocum includit duplē relationem, non actiue sum-

ptum

Quæst. V.

291

ptum, sed passiue: scilicet, habitudinem ad æquiuocans, quæ relatio est suppositionis: & habitudinem ad aliud æquiuocatum, quæ relatio est æquiparantia: non enim dicitur celeste sydus æquiuocatum ad canis, nisi per respectum ad animal latrabile: quæ duo sunt æquiuocata. Hæc duplex relatio patet resoludo nomen æquiuocatum: id est æquiuocatum: ratio ne primæ partis dicitur ad aliud, quod est æque cum eo: ratione secundæ, dicitur adiuvans: propter ergo relationem æquiparantia datur notificatio in plurali: sicut cætera huiusmodi relativa diffiniuntur in quinto Metaphysic. similia, dissimilia, contraria, &c. Propter relatiōnem aliam ponitur correlatum diffinitione in habitudine, qua dicitur ad ipsum: quorum, vt significatorum, solum nomen commune est, vt signum: & persequens, scilicet, & ratio substantiae est diuersa, ponitur differentia æquiuocatorum: & non sumitur ibi ratio pro diffinitione ex genere, & differentia: quia prima genera, quæ non habent rationem talem, sunt æquiuoca in hoc nomine, ens, sed ratio substantiae, id est essentialis intellectus, est diuersus: & quia æquiuocata in uno nomine possunt in alio vniuocari, & ibi habere rationem eandem: ideo adiungitur: secundum illud nomen: id est essentialis intellectus æquiuocatorum est diuersus, in quantum de eis dicitur æquiuocans: licet in alio vniuocante sit essentialis intellectus eorum idem.

Si autem dicatur: quod dicuntur, ponitur pro concipiuntur: id est sunt conceptus: & quod conceptus sit de essentia æquiuocatorum: potest dici, quod est vera diffinitio: & per illam particulam primam, dicuntur, ponitur genus; per reliquias correlatum diffiniti, & differentia.

Ad primum argumentum dico: quod concretum habet genus, & differentias, respectu quorum est quid: licet respectu substantiae sit denominativum, & concretum: quia in omni genere est reperire quid, per Aristot. & sic per illa sui generis potest diffiniri.

Vel potest dici: quod est notificatio, & conceptus, qui intelligitur, per, dicuntur, non est de essentia æquiuocati: sed subiectum eius.

Ad secundum dici potest: quod omnia relativa æquiparantia conuenienter

diffiniuntur in plurali, vt patet in quinto Metaphysic. vbi multa huiusmodi relationes diffiniuntur: & omnia in plurali: quia sic eorum intellectus est magis finitus, in quantum denominat vtrumq; extremum. Quod autem dicit Priscianus de plurali, intelligendum est, q[uod]ad naturam constructionis, non quoad unitatem formæ significatur.

Ad tertium concedendum est: quod non sit vera diffinitio.

Vel potest dici: quod in diffinitione Accidentis concreti primo debet ponis subiectum: vt hæc, nomen est vox: sic est in proposito.

Ad quartum dico: quod diffinitio datur de æquiuocatis: & non sequitur, illa dicuntur: igitur sunt voces, conceptus enim dicitur, & per vocem: unde si duo per diuersas voces exprimant eundem conceptum, dicemus, quod idem dicuntur. Vel exponatur: dicuntur, id est concipiuntur.

Ad quintum potest dici: quod ex hoc, solum nomen commune est: non sequitur: igitur ratio substantiae est diuersa: quia etiæ sequitur, non esse rationem substantiae communem; non tamē diuersam rationem substantiae.

Vel aliter: licet sequeretur: potest dici, quod solum refertur ad æquiuocans, ad quod diffinitum refertur: secundum relationem suppositionis: & sequens, licet, ratio substantiae est diuersa, referatur ad æquiuocata in se: & ita non pertinet ad idem.

Aliter dicendum magis ad propositum: quod æquiuocata habent rationem diuersam secundum nomen æquiuocans: id est, in quantum æquiuocantur in illo: sed æquiuocantia, non habent aliquam rationem.

Ad sextum dicitur: quod hæc intentio, æquiuoca, vt sumitur pro æquiuocatis, vniuoca est: & ita diffiniri potest: licet illa, quibus inest hæc intentio, non sunt vniuoca, nec diffinibilia: sicut hæc intentio, generalissimum, est diffinibilis, & diffinitur à Porphyrio, licet substantia, vel aliud, cui inest hæc intentio, non diffinatur.

Ad septimum potest dici: quod non intelligit, hoc nomen, animal, esse æquiuocum ad haminem verum, & pictum: sed si esset, manifestum esset ibi, quod solum nomen esset commune,

Cap. despe
cie.

& nullaratio: sicut communiter de exemplis non multum curat, nisi quod sint vera, ut sunt ad propositionem, hoc est quod Ars sua sit vera in eis.

Ad ultimum potest dici: quod terminus non est æquiuocus ad diuersas acceptiones: quia non significat, nec significat illas: nec est simpliciter vniuocum, ut suuatur sub illis: quia nulla est ratio hominis una, secundum quam vere prædicatur de eo species, secundum quam ipse prædicatur de Sorte.

Contra hoc: omne prædicatum est vniuocum, vel æquiuocum, vel denominatum: sed homo non prædicatur de intentione, & supposito vniuoce, nec æquiuoco per se: igitur denominatum: quod falsum est: quia prædicatur in quid de supposito.

Ad hoc dici potest: quodcumque prædicatum de aliquo uno est respectu eius vniuocum, vel æquiuocum, vel denominatum: sed non quodcumque prædicatum de multis est respectu multorum aliquo istorum modorum te habens: sed respectu unius uno modo, & respectu alterius alio modo: ut coloratum prædicatur de corpore, & albo: non uno modo: sed de albo, vniuoce, & in quid, & de corpore denominatum: sic quodlibet nomen prædicatur de supposito vniuoce: de intentione vero nullo dictorum modorum: quia est prædicatione per accidens, vel saltem reducitur ad prædicationem denominatum.

Summa textus.

EX PEDITIS questionibus tanquam ad huc librum prohemialibus, incipit Doctor specialiter de Anteprædicamentis disputare: que licet in generali tripartitum sint: nempe diffinitione, que valet ad cognoscendum modum prædicandi ipsorum Prædicamentorum de suis inferioribus: & divisione, que valet ad cognoscendum conditionem eorum, que in Prædicamento reponuntur: que sunt tantum incomplexa: & Regula, que valet ad cognoscendum ordinem eorum, que in Prædicamentis collocari debent, tamen in speciali sunt septem: tres diffinitiones, æquiuocorum, scilicet, vniuocorum, ac Denominatorum; duas Divisiones, & duas Regule: de quibus per ordinem agit: & primo Aristotelem sequitur diffinitione æquiuocorum examinata, etiisque insufficieniam octo rationibus satis apparentibus ostendit: sed illis non obstantibus statuit conclusionem dicens.

Conclus. Primo, ista notificatio satis conuenienter da

tur de æquiuocis & quiuocatis: hanc probat auctoritate Philosophi, & quadam explicacione satissimamente.

Secundo dicit: quod si, ly dicuntur, in diffinitione positum pro, concipiuntur, sumuntur: quod talis notificatio potest vera diffinitione ex genere, & differentia contans appellari. Tande soluit argumenta: & quia tam conclusiones, quæ aliqua argumentorum solutiones explicatione nonnulla agent, ideo nonnulli sunt circa hanc questionem a nobis Articuli mouentur: multis tamen ad 1.lib. Elenchor, a quest. 7. & que ad 16. prætermis, qui hic de æquiuocis moueri possent.

ARTIC. I.

An diffinitione equiuocorum sit sufficiens.

SVPPPOSITA probatione pro parte negativa in textu facta: pro intelligentia notandum 1. Quod omnis res duplicitate significari potest, vel conceptu ab intellectu producitur, nqua signo naturali: vel vocie, tanquam signo instrumentalium. Vnde rebus, quæ diuersis conceptibus significantur, diuersa nomina imponuntur: ut homo naturæ humana: equus naturæ equinus: & si aliquæ sint res, quæ in nomine, & conceptu expresso per nomen conueniant, dicuntur vniuocata: si vero in utroque non conueniant, dicuntur diuersuocata: si autem in conceptu conueniant, & in nomine differant, dicuntur synonyma: ut ensis, & gladius: si tandem in conceptibus diuersificantur, & tantum in nomine conueniant, æquiuoca dicuntur.

Secundo notandum: quod res in se, nec vniuocæ, nec æquiuocæ dicuntur: nisi quatenus per nomen explicantur: homo enim, & leo tantum sunt vniuocata, quatenus ab intellectu sub hoc nomine, animal, comprehenduntur, ab illo que tale illis nomen imponitur. & canis terrestris, syrus celeste, & pisces marinus, eadem etiam ratione æquiuoca appellatur: quia scilicet illis, hæc vox canis, in qua conueniunt, imponitur.

Tertio notandum: quod æquiuocum est duplex: alterum est æquiuocum & quiuocans, & est ipsa vox nullum conceptum communem suis significatis importans: alterum est æquiuocum æquiuocatum, & sunt ipsæ res, quæ æquiuocata dicuntur. Rursus hæc duo æquiuocata adhuc dupliciter considerantur: aut prime, aut secunda intentionaliter. Aequiuocum æquiuocans prime intentionaliter, est ipsa vox plura significans diuersos conceptus totalibus, & non synonymis: totalibus dico propter orationem, quæ plura diuersis conceptibus partialibus significat: non synonymis addo, propter notitiam Petri in meo, & in tuo intellectu, quæ licet sint plures, sunt tamen synonyma. Aequiuocum æquiuocatum prime intentionaliter sumptum sunt ipsi significatae voces æquiuocæ. Aequiuocum æquiuocans secunde intentionaliter acceptum, quod a Doctore acceptum appellatur, est relatio rationis vocis ad sua significata.

Conclus.

4. Not.

1. Not.

2. Not.

3. Not.

4. Conclus.

2. Conclus.

3. Conclus.

4. Conclus.

ARTIC. II.

An æquiuocum possit dici vniuocum?

Scata, quæ relatio proprie dicitur significatio, & multiplicatur ad multiplicationem significatorum: æquiuocum æquiuocatum secunde intentionaliter, seu passiuum, est relatio rationis significatio passiuæ in significatis ad ipsam vocem significantem: quæ relatio à Doctore appellatur suppositionis: quia supponitur alteri. Et ipsum æquiuocatum etiam refertur ad aliud æquiuocatum: id est aliam relationem fundat, quæ dicitur æquiparantia rationis: non enim dicitur syrus coeleste æquiuocatum ad istam vocem, canis, nisi per respectum ad animal latrabile. & id est illius æquiuocata dicuntur.

Quarto notandum: quod ly dicuntur, in hac diffinitione potest significare idem, quod sonat: velidem, quod, ly, concipiuntur, importat, ita ut dicuntur, pro, concipiuntur, sumuntur. Ex quo patet sensus diffinitionis: intelligitur enim de æquiuocis & quiuocatis, quæ ratione relationis æquiparantia dicuntur æqua: & ratione relationis suppositionis dicuntur vocata, ex quibus componitur dictio æquiuocata. Æquiuocata igitur æquiuocata sunt, quorum, ut significatorum, solum nomen est commune, ut significatio autem substantia: id est, conceptus essentialis eorum est omnino diuersus secundum illud nomen: hoc est, prout per vocem, quæ dicitur æquiuocum æquiuocans, significantur immediatae, & ex quo: hoc enim est de ratione æquiuocis æquiuocatis: ut immediatae, & ex quo, significet plura habent conceptus essentialis diuersos: & hoc ultimum est differentia æquiuocatorum: sicut etiam relatio ad vocem facit ea conuenire, & relatio æquiparantia: ut in plurali numero diffinantur.

Vel aliter explicatur diffinitione (sumpto, ly, dicuntur, pro concipiuntur) æquiuocata æquiuocata sunt conceptus relativi rationis, quorum nomen est commune, & ratio, seu quidditas, cuiuslibet est diuersa secundum illud nomen. Et in hoc sensu est quidditatiua per additamentum: nam per ly, concipiuntur, ponitur genus, quod est conceptus rationis, per ly, ratio substantia est diuersa, ponitur differentia; per ly, solum nomen est commune, ponitur terminus relationis, sicut in alijs diffinitionibus secundarum intentionum accidit.

Dicendum primò. Æquiuocum æquiuocatum formaliter sumptum, & vniuocum vniuocatum etiam formaliter sumptum; capiendo utrumque vel, ut quid, vel ut modus: non prædicantur ad inuicem. Hæc patet: quia oppositum non potest de opposito sub ratione oppositi prædicari: sed æquiuocum, & vniuocum, prout in conclusione sumuntur, sunt opposita: igitur. Probo minorem: nam hæc est falsa: genus, ut quid, vel ut modus: sic in proposito: quia æquiuocum æquiuocatum, ut quid, & secunde intentionaliter sumptum, est relatio rationis æquiuocatorum ad vocem significantem: & vniuocum vniuocatum, ut quid, & formaliter sumptum, est relatio rationis alius communis immediata per vocem significatum ad ipsam vocem: sed relatio rationis æquiuocatorum non potest esse relatio rationis vniuocatorum: ut patet: igitur, &c.

Dicendum secundò. Sive prædicta diffinitione sit vera diffinitione, sive tantum notificatio, est sufficienter tradita. Patet: cum auctoritate Philosophi: cum etiam quia per eam, quidquid de æquiuocis scire possumus, nobis innotescit.

Dicendum tertio. Prædicta diffinitione in primo sensu explicata est proprie notificatio quædam: in secundo vero sensu est proprie diffinitione: hæc quod utrumque, partem est Doctoris: & quod primam probatur primo & tertio argumento. Quod secundum constat ex notabili quarto.

PROPTER solutione ad sextum præfens mouetur difficultas, pro qua notandum primum, quod æquiuocum æquiuocata possunt esse æquiuocata respectu vocis, per quam immediata significantur; & vniuocata respectu alterius mediatæ: verbi gratia, significata huius vocis, canis, sunt æquiuocata respectu illius, & vniuocata in hoc nomine substantia.

Secundo notandum: quod tam vniuocum, quam æquiuocum æquiuocatum, prime intentionaliter sumptum, possunt sumi, aut ut, quid; aut ut modus: & hoc ad inuicem, vnum, scilicet, respectu alterius.

Dicendum primò. Æquiuocata æquiuocata prime intentionaliter capta sunt vniuocata vniuocata, etiam prime intentionaliter capta, non in significato vocis immediata, sed alterius vocis mediata, & superioris. Hæc est Doct. in suo notabilis: & ex nostro secundo patet.

Dicendum secundò. Æquiuocata æquiuocata secunde intentionaliter sumpta, & ut, quid, sunt vniuocata vniuocata secunde intentionaliter sumpta, & ut modus: ita intelligitur solutio sexti argumenti, quæ videtur esse Nicostri: ut respectu Simplicius. Probatur: nam omnia æquiuocata vniuocantur in hoc nomine, æquiuocum, & in illo conueniunt: nam hæc est vera: canis terrestris est æquiuocum, & sic de reliquis: ergo hæc secunda intentio, æquiuocum, vniuocum, vniuocè prædicatur de illis.

Dicendum tertio. Æquiuocum æquiuocatum formaliter sumptum, & vniuocum vniuocatum etiam formaliter sumptum; capiendo utrumque vel, ut quid, vel ut modus: non prædicantur ad inuicem. Hæc patet: quia oppositum non potest de opposito sub ratione oppositi prædicari: sed æquiuocum, & vniuocum, prout in conclusione sumuntur, sunt opposita: igitur. Probo minorem: nam hæc est falsa: genus, ut quid, vel ut modus: sic in proposito: quia æquiuocum æquiuocatum, ut quid, & secunde intentionaliter sumptum, est relatio rationis æquiuocatorum ad vocem significantem: & vniuocum vniuocatum, ut quid, & formaliter sumptum, est relatio rationis alius communis immediata per vocem significatum ad ipsam vocem: sed relatio rationis æquiuocatorum non potest esse relatio rationis vniuocatorum: ut patet: igitur, &c.

Dicendum quartò. Æquiuocum æquiuocatum prime intentionaliter sumptum est vniuocum vniuocans eodem modo sumptum: patet: nam canis est æquiuocum æquiuocans respectu omnium suorum significatorum: & est vniuocum vniuocans respectu vniuocans: quia hæc est prædictio vniuocata, canis terrestris est canis: ergo,

Dicendum ultimo. Æquiuocum æquiuocans est vniuocum vniuocans, si secunde intentione

Concl. vi.

Concl. vii.

tentionaliter sumantur, & alterum, ut quid, alterum vero, ut modus. Hæc ex secunda conclusione constat: hæc enim est vera: æquiuocum est vniuocum: sumpio æquiuoco, ut quid, & vniuoco, ut modus.

ARTIC. III.

An omne nomen sit aequiuocum?

QVOD non videtur ex solutionibus ad septimum, & octauum, in quibus vult Doctor, animal non esse æquiuocum ad hominem verum, & pi- dum; nec hominem ad prædicari de Petro, & vt de ipso prædicetur species: ergo non omne no-men est æquiuocum. Pro intelligentia notandum: quod quodlibet nomen ad placitum, vnicum cum sit, potest esse expressivum, vel sui significati immediati, ad quod significandum imponitur: vt homo respectu humanitatis, vel est ex pressivum plurium conceptuum, quos de ipso formamus: vt homo significat se, & sibi similia, uno conceptu, qui est naturalis similitudo sui ipsius: significat etiam naturam humanam alio conceptu, qui est illius similitudo etiam naturalis.

1. Conclu. Dicendum primo. Nomen vniuocum respe-ctu sui immediati significati, ad quod significandum imponitur, non est æquiuocum: hæc de se patet.

2. Conclu. Dicendum secundo. Quodlibet nomen vocale, seu scriptum, ad placitum significans potest dici æquiuocum aliquo modo: probatur: quodlibet nomen plura diversis conceptibus signifi-cans est æquiuocum, sed quodlibet nomen vocale, vel scriptum, ad placitum significans est hu-iusmodi: ergo quodcumque tale est æquiuocum: patet minor de homine, quod diversis concep-tibus significat se, & humanitatem, quibus so-lum nomen est commune, & ratio substantiaz est diuersa. Igitur.

Ad Doctorem respondeo: ipsum loqui in sensu primæ conclusionis: non vero negare se-cundam: nec ex illa sequitur, omnem propo-sitionem esse distinguendam: nam omnis pro-positio coalescit ex terminis, prout ad placitum sunt impositi ad suum significatum, imme-dium significandum: & cum respectu talis sint vniuoci; ideo propositio non est distinguenda.

Alia quam plurima, que de æquiuocis hic moueri poterant, vide apud Doctorem in primo Elenchorum, ubi de il- lis plura scitu dignissima reperies.

QVÆST. VI.

An diffinitio vniuocorum sit conueniens?

Vniuoca vero dicuntur, quorum no-men commune est: & secundum il-lud nomen, eadem substansia ra-tio, &c. Cap. I.



VÆRITVR: de dif-finitione vniuocorum: An sit conueniens? Hæc scili-cet, vniuoca sunt, quorum nomen co-mune est, & ratio substanzæ eadem, secundum illud nomen: videtur quod non, & potest argui per tria prima ar-gumenta facta ad præcedentem quæstio-nem, & consimiliter soluuntur, sicut ibi sunt soluta.

Item, album prædicatur de homi-ne, & de equo, secundum eandem ra-tionem: aliter enim esset æquiuocum: & tamen non est vniuocum prædicatum respectu istorum: quia est denomi-natiuum. Similiter arguitur de omni prædicato denominatio: & maxime de intentionibus: quia hoc prædicatum, genus, dicitur secundum ean-dem rationem de substantia, & quantitate: & tamen non est vniuocum: quia est denominatiuum: & vniuo-cum, & denominatiuum, sunt oppositi modi prædicandi: sicut vniuocum, & æ-quiuocum.

Item, omnia æquiuoca habent idem nomen: scilicet, hoc nomen, æquiuoca: & eandem rationem substantiaz: scili-cet, essentiale; secundum illud no-men: scilicet, rationem æquiuocorum: igitur, si dicta diffinitio esset conueniens: omnia æquiuoca essent vniuoca, quod falsum est: quia oppositum prædicatur de opposito.

Item, quorum substantia, id est ratio essentialis, est eadem, ipsa sunt eadem essentialiter: sed vniuoca vniuoca-ta habent eandem rationem substantiaz vniuocantis: ergo omnia vniuoca es-sent

Quæst. VI.

entialiter, quod falsum est: quia sic homo, & alius, essent idem essentia-lier.

Ad oppositum est Aristoteles.

Dicendum, quod est notificatio conueniens; & potest conuenienter intel-ligi de vniuocatis sic: vniuoca sunt, quo-rum; non vt significatorum; est nomen vniuocantis commune: quia illud no-men non significat aliquod vniuocato-rum, sed quorum, vi contentorum sub vniuocante, est nomen vniuocantis co-mune, & ratio substanzæ vniuocatorum eadem, secundum illud nomen vniuo-cans: & tunc nullum nomen vniuocum vniuocans est denominatiuum respe-ctu eiusdem: quia denominatiui ratio non est ratio substancialis denominato-rum. Similiter potest intelligi de vniuocantibus sic: vniuocantia sunt, quorum nomen, vt pars totius, com-mune est vniuocatis, & ratio substanzæ vniuocantis eadem vniuocatis se-cundum illud nomen. Non autem po-tuit diffinitio æquiuocorum intelligi de æquiuocantibus: quia illorum non est nomen: cum nihil sit æquiuocans, nisi sola vox. Similiter non habent a-liquam diffinitionem: ergo nec diuer-sam, nec eandem, sed neutrum isto-rum impedit hanc diffinitionem intel-ligi de vniuocantibus: quia & istorum est nomen: quia non solum nomen vniuocat; & ista habent eandem ratio-nem substanzæ. Aristoteles tamen magis videtur intelligere de vniuocatis: dicit enim, vt animal; Homo, atque Bos: communi enim nomine vtraque animalia nuncupantur, quod manife-stum est, dici de vniuocatis. Et subdit de ratione eadem. Si quis assignet v-triusque rationem; quid vtrumque sit in eo, quod sunt animalia, eandem as-signabit vtriusque rationem, quod simi-liter manifeste refertur ad vniuocata.

Ad primum argumentum dicitur, quod nullum denominatiuum habet ra-tionem substanzæ respectu illius, res-pectu cuius est denominatiuum: licet in suo genere possit habere rationem substanzæ: & ideo nullum denominatiuum prædicatur secundum eandem ra-tionem.

Contra hoc: Denominatiuum non re-

cipit magis & minus, nisi respectu subie-cti, respectu cuius, est Denominatiuum: sed Aristot. 3. Topicor, ad concludendū Cap. 91 accidens de aliquo, secundum magis, & minus, docet considerare diffinitionem, accidentis, quod magis suscipiat proposi-ti, id est accidentis, rationem, vt albus, quod est coloratum, magis disgregatiū visus: ergo denominatiuum, respectu illius, cuius est denominatiuum, habet rationē substancialē. Probatio primæ pro-positionis: Porphyrius cap. de Differen-tia dicit, esse autem vnicuique vnum, & idem est, neque suscipiens intensionem, neque remissionem: hoc est, essentia cu-juslibet consistit in indubibili: illam e-nim propositionem adducit ad proban-dum, Differentiam nō suscipere magis, & minus, respectu cuius est per se Diffe-rentia: ergo denominatiuum in suo gene-re, in quantum est quid in se ex suo gene-re, & sua differentia, non recipit magis, & minus: igitur tantum in cōparatione ad obiectum, quod denominat.

Potest dici aliter ad primum argumen-tum, quod homo, & equus, non sunt vniuocata sub albo: nec quæcunq; alia sub aliquo prædicato denominatio: quia vniuoca sunt, quorum est nomen commu-ne, & ratio substanzæ vniuocantis eadē, quæ ratio est etiam eis substanzæ ratio, licet non propria, ratio autem albi, vel eniunctio denominatiui, non est ra-tio substanzæ denominatiui, sed quia ratio sic est de Denominatio, quod præ-dicatur secundum idem nomen, & ean-dem rationem substanzæ denominatiis; ideo dicendum: quod diffinitio de vniuocantibus sic debet intelligi: & ratio substanzæ eadem, quæ ratio est essentia-lis vniuocatis, quod non est verū de de-nominatio, nam secundum Aristot. in-ferius cap. de Substantia, album prædic-a-tur de corpore, rationem vero albi præ-di-carī de illo, impossibile est, quod est intelligendum ita, quod illa ratio sit ra-tio corporis.

Ad secundum argumentum potest dici duplicitate, vno modo concedendo con-clusionem, quod omnia æquiuoca sunt vniuoca, nec prædicatur oppositum de opposto, nisi forte in respectu.

Vel aliter dicitur, quod non se-quitur: æquiuoca habent hoc nomen com-mune, æquiuocum, & rationem substanzialem huius eandem: igitur ha-